m

cum

re, & Corpus

ans, cum

Evang.


In Epiph.

com. Sequ.

sequ.

com.

27 Sabb



[illegible]

10 / 15 10 / 15

50
50

Ausgerechnet [?]
und nicht fort-
gesetzt [?]



INAUGURATIO SECUNDA,

Sceptris Rectoralibus,
Coronam Doctoralem
ADJUNGENS;
Magnifico, Perillustri & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. GABRIELI PROFECKI,

S. Th. Licentiato & Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum; Cathedralis Cracov: Festorum Salvatoris Domini, & B. V. M. Concionatori, Collegiatarum; S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviã Custodi, Neosandecensis, Cancellario, Parochialium; in Zebrzydowice Præposito, in Michałow Curato, Academicæ Coloniæ in Pinczow Myszkovianæ, & Cõtubernij Philosophorũ Provisori, S. R. M. Secretario, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis Generali ac Vigilantissimo

RECTORI.

Dum in Alma Universitate Cracoviensi,
à
Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. M. BASILIO PLASZCZEWSKI,

S. Th: Doctore & Professore, Collegij Majoris Seniore Patre, Ecclesiarũ; Cathedralis Cracov: Canonico, Collegiatæ; SS. Omniũ Præposito, Parochialis; in Łętkowice Curato, Ordinario Librorũ, per Diœcesim Crac: Censore, Contubernij Sisiniani Provisore, S. R. M. Secretario;
In Ecclesia Collegiata Sanctæ ANNÆ,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,
ritu Solenni renuntiaretur,

INSTAURATA,

& à

M. STANISLAO MARKIEWICZ,

Philosophiæ Doctore, Collega Majore, Regio Professore, Tyliciano Oratore, Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Canonico, Parochialis, in Stradow Curato
Panegyrico plausu, officiosè

CELEBRATA.

Anno Inauguratæ Salutis in terris 1717. Die 30. Septembris.

INAUGURATIO SECUNDA.

Magnorum auguria honorum,

Ex volucri meritorum fama, concepta,
non feliciùs implentur, quàm secunda inauguratione.
Secundæ cogitationes, sæpe primum propositum corrigunt;
& ruminata opera, solent esse svaviora.
Ex actu secundo, noscitur perfectio primi;
quid velit antecedens, illatio monstrat.
Prologus ipse, occupet frontem tragædiæ,
sed Catastrophe, caput & cor, occupabit.
Purpura auroræ, & rubentes Orientis radij,
non usq; serenum portendunt diem,
nisi innubis radiorum Corona, meridiano accedat solio.
Coronata mundi Capita, prædominio Principis astrorum, subsunt;
ex prima luce, & matutina populari aura,
invariatum splendorem, orbi spondere nequeunt.
Augurio sex vulturum, & bonis avibus,
in novis mænibus, culminare visus Remus;
Sed mox in sangvine fluctuare coactus,
secunda apparitione, Romulo, secunda auspicia cessit.
A Ducatu Spartanorum, ad totius Græciæ Regnum,
non secundo gradu, processit Pausanias;
quia in primo molimine, ab Aristide deprehensus, & depressus.
Cracides Lechus, diminutusq; dolosè currendo Lelcus,
ad mitram, plausu primo provectus;
mox ponderato ascensu, ad infimam libratus sortem,
& in festiva acclamatione conclamatus.
Ita instabile est, & phasmatis instar perit,
quod ad culmina rerum subitò tollitur.
Lux fulguris, non retinet splendorem,
quia perstringit, & tenebras trahit.
Corona solis, repente levatis vaporibus nexa,
pluviæ præsagium volvit.

Longi-

Longiores in imperio dies, Augusti fuêre, quàm Iulii;
quia hic unico Rubiconis transultu, Capitolium calcavit,
ut fastigium teneret:
ille repetito populi favore delatum, semper renuere visus.
Nempe corona dum festinatò venit,
sæpe in circulum vitiosum abit,
& punctum honoris non retinet.
Præmatura Principum serenitas, tempestati præludit;
citoq; initiati, tristem coronidem Regnis imponunt.
Felicior Corona, quæ tardè volvitur,
cùm ad fortunæ orbitam non accedit,
in casum non impingit.
Melior est, in vertice expectatæ Cereris,
quàm in primitiva, veris fronte.
Plus præstat Corymbion botris, quàm sertum floribus.
Primitiæ oblectant, sed usum fraudant.
Frugifer autumnus, expectationem cornucopijs compensat.
Talis Corona, hodie Tuis accedit Sceptris,
per quam Regno Sapientiæ, secundò inauguraris,
Magnifice Perillustris & Admodùm Reverende
DOMINE RECTOR:
Theologica est,
non potuit, velocitatem ex rotunditate habere,
quia non motum, sed pondus sidereum, præfert;
quod Atlanti onerosum esset,
cùm Cælitum arcana evolvat.
Hinc Tibi citiùs Sceptra venêre,
& post hæc, sol Zodiacum simul, & Tibi Coronam definivit.
Nam manus Tuæ, bonorum operum plenæ,
priùs Sceptris coronandæ erant, quàm doctrina, laurô;
ex destinatione Ejus, Qui operibus intentior,
cæpit facere & docere.
Tu quidem, Sola magnanimitate Coronatus,
ipsâ honorum fugâ, ad Romanorum Consulum, eminentiam accedis,
qui absq; Corona, Fasces gerendo, orbem regebant.
Sceptra tamen, Coronam indigitabant:

 hæc

hæc ad Te Sapientia præmisit,
Vt deinde secunda Solennitate, apud Te jucundaretur,
quali hodie, svavissimè fruitur.
GABRIELEM in Te Universitas experitur,
qui priùs lilium, pro Sceptro, tulit,
mox coronam Divinitas, Virginitati imposuit.
Hoc Nomen, cum Natalibus, ad Craciæ Vrbis gloriam, accepisti;
ut nativam morum culturam, ab Vrbe cultissima, haberes.
In Prætexta, studijs accinctus,
per arenam Palladis, ita cum Apolline currebas,
ut virentem Daphnen, consequereris:
hac laureatus, felici ingenio triumphasti.
Speculum eruditionis factus, à speculatione non deflectebas.
In gradu secundo, terminum diligentiæ non figens,
plusultra semper, ad profectum contendebas;
gnarus, hortorum & ingeniorum areolas, sylvescere,
si vel modicùm, cultura intermittatur.
Mnemosine otiô sterilescit;
continuo charactere fecundanda, ut Musas pariat.
Si ingenium desit, in libris quærendum.
Nam in paginis, multorum ingenia involuta sunt.
Morpheus Minervæ inimicus est.
Si lampas Solis cadat, Cleantis accendenda est.
Studiorum stadia, infatigabiles Papyrios poscunt.
A teneris, hoc in Te singulare erat,
quod ingenij & morum svavitate, excellens,
sub magisterio virtutis, continuò agebas.
Tendebas velis remisq;, ad cultissimum Latium,
à Latio, ad Sapientiæ Athenæum, non uno properasti cursu;
ut vel in Stoa, animo discurrens,
in motu quietem haberes..
Dum nullam discendi habes metam, præter Supernam,
per paginarum pelagus, ad Tritonias Minervæ arces adnatâsti.
Sedit in ore Tuo, dulcis gratia:
ipsæ Camænæ floribus elegantiarum, animum resperserunt.
Decus Tui maximum, ingenium; ingenij dulcor, eloquentia.
Effulsit ditissimum bonæ mentis ærarium,
Vigor animi, expeditum consiliorum promptuarium.
prudens

prudens in omni activitate ardor, cunctorum oculos, in se advertit.
Hac dotum commendatione,
par summis Viris, ad regenda fastigia natus,
factus es, erudiendorum, magnus Apollo,
cùm sapientiæ Delphos, ubiq; circumferres.
Alios mundus magnos adoravit, ex sangvine, alios ex ingenio;
nempe in quibus plus ingenii erat, quàm sangvinis.
Non Fabius tantùm Maximus, sed etiam Valerius, à literis.
Si Divus Augustus dictus, etiam Divinus Plato:
non tam Cæsaris, quàm Livii eloquentiæ Majestas, & admiratio,
multos, ab extremis mundi finibus, traxerat Romam.
Scilicet, alii Marte, alii arte creverunt,
ut in orbis æstimatione, summi fierent.
Certarunt tenera Illustrissimorum ingenia, de Te Præceptore,
ut in tabulis rasis, figuram Reipublicæ ornandæ, pingeres.
Non promptiùs concha, ad auroræ rorem, panditur,
quàm multorum indoles, ad Te sapienter instillantem,
ut in Coronam Regni, gemmas parturiret.
Secuta suum heliotropia Phæbum,
quà radius excelsæ mentis traxerat.
Nam ex Te per lenitatem Spiritûs, voluptas discentium erat.
Præter Novodvorscianas Classes,
in quibus multo sudore, multorum profectui adremigâsti,
etiam privato Præceptori adhæsêre ingenia,
ut apes flori.
Primi hanc suam felicitatem æstimant
ZAGOROWSCYI, WIĘCZKOWSCYI,
& Archi-Capituli Gnesnẽsis, præsens Gloria Ułanowscius,
educationi Tuæ, sua in Republica gesta, & decora tribuentes.
Mox gratiore favonio, in ROSETUM delatus,
Florum ocellos, & oculis gratissimos Flores, SZEMBECIOS,
STANISLAUM & ANDREAM,
JOANNIS Ensiferi Cracoviensis, Filios,
ad Religionis conditanea, efformasti.
Meritòq; Tibi nunc, tota Celsissima Domus hæc,
simulq; Almæ Matri, favorum ostia pandit:

Nam

Nam in TERNIONE ROSARUM fragrantiſſimo,
tres Gratias Univerſitas experitur.
Ad Lechicam Hippocrenen, dum novi properant Bellerophontes,
Tibi ſuas ſubmisêre habenas.
Nempe Lithvanicus per Iagelonem, Poloniæ Regum, Sangvis,
Illuſtrißimi & Excellentiſſimi
SAMUEL, ANTONIUS & JOSEPHUS,
DUCES in KLEWAN,
CZARTORYSCYI,
in Te formatorem, ingenia mitris paria referunt.
Horum *Illuſtrißima & Excellentißima Parens* MAGDALENA,
fecundior Illa Minerva, noſtri ſæculi,
inter ſacras computabat ſortes, quòd Te Præceptorem elegiſſet.
Hîc Tu obſequii gloriâ, ſplendebas tot annis,
quot Sol ſigna in anno luſtrat.
Dum duorum Mitræ, in Coronam æternitatis tranſeunt,
tertia terris relicta, Patriæ, & Tibi ſolatia præſtat,
Illuſtrißimus & Excellentißimus Dominus,
D. JOSEPHUS
DUX in KLEWAN,
CZARTORYSKI,
Magni Ducatûs Lithvaniæ Vexillifer,
dignus, ſub quo & Ducatus, & Regna, militent.
Magnanimo Sonipedi, hic unus Seſſor ſufficit.
Namq; Bucephalus unum Alexandrum geſtat,
Unum Cyllarus Caſtorem.
Votum tamen orbis, ſuperûm favore, implebit,
ut tot unus, ferat fortiſſimos poſteros,
quot Eqvus Trojanus, Heroes.
Tali provectus ephippio
ad gemmeam gratiarum Faſciam pertigiſti;
Illuſtriſſimi olim & Reverendiſſimi Domini
JOANNIS SBASKI,
Epiſcopi Præmyslienſis.
Dulcis iſta Charis, ad æſtimandas eruditorum dotes, effuſiſſima,
Te

Te favoris ſui complexu, pluſquam gentilitio vinculo;
trahebat ſvaviter, ut Capituli Præmyslienſis,
mens & intelligentia eſſes.
Pulcherrimum eſt, talem virtutis Lydium, meriti ſtateram, habere.
Et forſitan in hoc Lydio, magneticam vim ſecutus fuiſſes,
niſi amor, & deſiderium almæ Matris, præponderaſſet.
Hæc bene penſato, ingenii Tui pretio,
ad ſuam Dactyliothecam optans, aptavit.
Duxit per Collegia, argumento ſolito à Minori ad Majus,
ut maximi honoris conſequentiam pararet;
ut Ducem Sceptrigerum, ex Te haberet.
Cùm prædicari de pluribus, in Præpoſitura Rymanovienſi debueras,
ſubiici in Collegiis maluiſti, ut Sceptrô imperare, diſceres.
Certè Sors Academica, nunc potiſſimùm ſine fortuna;
illos nonniſi allicit, quos otii tædet;
aut quibus negotioſum literarum otium, cordi eſt.
Ubi per multas ariſtas, ſpes in herba,
ad finem ætatis citiùs venit, quam ad initium frugiferæ æſtatis,
Sic jam ardentiùs, pro præmio æterno, laboratur,
cùm temporale, temporum calamitas abſorbeat.
Talem Spartam nactus, ſudorẽ gemmis ornare, & præmiũ non expectare,
ſed ex Te addere voluiſti.
Continua laborum ſeries, pro alimento virtutis,
ſedata ſpeculatio, pro ſcrutinio ſapientiæ,
diſcurſus elevatior, pro exercitio ingenij, erat.
Ardua negotia ultro aſſumere,
mirâ elegantiâ, & agendi ſvavitate condire,
innata facilitate, prudentia, & comitate, expedire,
Tibi non minùs proprium, quàm palmare.
Mentis ſerenitas, in ſuo diaphano, ſemper radiantis,
nullo gurgite, nullâ liquidi procellâ, fluctuantis,
temperiem, puri imitatur cæli.
Genius aureus, in obſequiis & benefactis ductilis,
pariter immemor, ſi quid præſtiterit, aut perpeſſus fuerit:
doli ignarus, injuriarum medelam novit, oblivionem.
Per Cathedras & roſtra, memoria felix,
ſvaviter ex pleno promptuario ſuo, effundens,
in oculos ſimul, ac aures invehebat delicias.

Cum

Cum hoc proſcenio, per omnem Academicam ſtationem, circũductus,
ubiq; palmas & exempla reliquiſti.
Curſum Philoſophicum, in Stoa expediens,
aurea Hippomenis poma jeciſſe viſus es.
Purpuram Decanalem, & muricem illum, ſudore tinctum,
bis induiſti, ut toties tingeres, ad Tui ſplendorem:
recurrente huc, ipſo oſtro, ubi ingenium princeps erat.
Ex Academo, ſi excurrere placuit, meta fuit, Sacræ exedræ:
& hic Divina oracula non uſquam ſvaviùs ſonabant;
vel meta, Magnatum favor, in rem literariam,
in quo conciliando, nec ipſe Cyneas felicior erat.
Stat hujus perenne documentum, ingens literarum augmentum,
Colonia Academica Pinczovienſis,
Te meritas Gratias in Muſarum chorum, vertente, erecta.
Munificentiâ Marchionali & Senatoriâ,
Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini
JOSEPHI VLADISLAI
Marchionis in Mirow, Gonzagæ
MYSZKOWSKI,
Caſtellani Sandomirienſis.
Hic per Gonzagas Princeps
Polono orbi, Latii Majeſtatem & ſapientiam adjunxit.
Hic Lechiæ Procerum, uti generoſiſſimus, ita eruditiſſimus,
in docto Phœbo ſua parelia pingens,
ab antiquo, inæſtimabile literarum pretium, revocavit;
vel in ſuo genio repræſentando, vel in Marchionatu fundando.
Hic ingeniorum, & Marchionum Phœnix,
ad Tuum votum, gratioſa cinnama collegit,
ut alterum nidum, ad Nidam, Pierides haberent.
Nutritius Muſarum JOSEPH,
in ſua Marchionali Ægypto Parnaſſum erexit:
ut ſtrepitu armorum, horrens ſæculum, ad docta ſomnia invitaret;
vel rudium inertes ſomnos, ſvavi Camænarum voce, rumperet.
Sanè in Nobilitate diſcente, viva gloriæ ſuæ roſtra,
in eruditorum pectoribus, perennia monumenta, poſuit.
Tui vero æſtimator Summus, Magnifice Dñe RECTOR
votis ſuis, pridem Tibi præivit ad Sceptra, & Doctoralem Coronam.
Sed

Sed Tu Academico more
longè maturam in honoribus messem, expectando,
per gradus Theologicæ Professionis, huc maturabas gradum.
Seu mens rectefactorum conscia, mereri non capessere, intendebat.
Hoc erat, Nostrarum Athenarum, ad Comitia Regni generalia,
toties Legatum agere, & in corda Principum agere,
pro Sacro D. JOANNIS CANTII, auctoramento,
pro conservanda, Iurium Nostrorum, immunitate.
Quò Te verteres, nunquam sine multis gratiis Nuntius,
ad Universitatem rediisti.
Mitratus Celsissimarum ROSARUM Ternio,
pupillam Ecclesiæ DEI & Patriæ, mirè recreans,
CELSISSIMUS REGNI PRIMAS, PRIMUSq; PRINCEPS,
purpureo Te fovet odore, an sinu;
ex quo tot Gratiarum cimelia, in Vniversitatem nostram,
in sacras Divæ ANNÆ Ædes, effudit.
Eadem de Te æstimatrix mens, CAPITIS CELSISSIMI,
Craciâ Tiarâ & Mitrâ eminentis;
cùm Tuas dotes, & regimen faustum Vniversitatis,
prospicit per cancellos, Cancellarius faventissimus.
ROSEÆ honorum purpuræ,
Purpureæ vittarum animæ,
Paphensis, Chełmensisq;, Pedo, ad Summa tendentes,
Te non obvio respectu dignantur.
Aquila Regni JOANNES, Majori Sigillo Major,
ILLUSTRISSIMUS REGNI CANCELLARIUS,
merita Tua, pridem signat, ad pretium.
Tali gratiarum splendore, ne nimiùm emineas,
intra sacras Divæ ANNÆ Ædes, sæpe Te abscondis,
ut illis cariem detrahas, splendorem inducas.
Templum hoc, Divæ ANNÆ, velut illud Diannæ Ephesinum,
nuper inter Lechiæ miracula numerari cæpit,
sed mox edaci tempore, Herostrato, summis decoribus invido,
cæpit esse ruinarum admiratio,
& speculum brevi pereuntis pulchritudinis.
Oportunè igitur & ferme ipsius Metertiæ voto,
Te Curatorem nactum, qui lautus & elegans,
scabram deformitatem ab eo amoliris.

Vt

Vt deinceps ſidereum retineat nitorem,
ab injuria cæli, laminis contegis.
Fortunatiſſimum æs, quod in ædes cedit,
comportante aurea Principum manu;
etiamq; gemmeum beneficij alveum, volvente,
Gentilitio Sreniawa,

Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini,
SIMONIS ALEXII TRETER,
Canonici Cathedralis Varmienſis &c,
Viri de Eccleſia DEI meritiſſimi,
qui Tibi Magnifice Domine RECTOR, quondam intimus,
etiam nunc, ſacris beneficijs diſtantia jungit.
Tali meritorum ſerie Te provectum,
ultro faſtigia exambivêre, Sceptra invasêre.
Virtus quidem & Sapientia, infra Te pridem omnia decora poſuit,
Sed Tu modeſto ſenſu infra hæc Te continebas.
Stupore magis, quàm honore, Te rapi vidiſti,
cùm Faſces RECTORALES Tuum peterent arbitrium.
Mox tota Vniverſitas, inſolito plauſu, in Tuam Domum infuſa,
gratulata eſt ſibi, in Te inveniſſe caput aptiſſimum,
morum delicium, animorum illicium:
ut cordibus tolli, ad honorem, certum eſſet.
Sceptri Ægyptij olim ſummitas oculus erat;
nunc Academici, Argus eſt,
milleno lumine perſpicax & providus.
Hoc favonio Res Academica refloreſcit.
Nam ex Te, velut oraculo, diſci poſſet,
cum imperio Sapientibus præeſſe,
jura Majeſtatis inter Literatos tenere.
Vbi non Iupiter fulminans, nec Néptunus tridente turbans,
ſed Phæbus liberali radio omnia fovens,
in ſuo Parnaſſo deſideratur.
Hæc erat Inauguratio prima,
in qua Operum excellentia, in Magnificentiam abiit.
At nunc magnificentior Inauguratio ſecunda,

Sapientissimum Caput, supremâ quia Theologicâ præcingit Coronâ, eo plausu, quẽ, emedullati Magnatum affectus ampliorẽ depromere, parietes templi, capere nequeunt.
Addis Doctoratui ingens jubar, cùm eidem Sceptra infers:
& felicissima Tua Annuntiatione Gabriel, prodis Angelicus Doctor.
Tibi rara felicitate, Sceptris, & Doctorali laurea, hodie triumphanti Ecclesiæ & Academiæ Hierarchia sonorè Jo!canit.
Quo fit, ut calamus meus non exauditus, ore bifido non ultra, paginæ loquatur.
Hanc adhuc appingit lineam, ut Tu orbis Academici Angelica intelligentia, & primus Motor, Prophetico more, Solem multis lineis in serenum Tui honoris, & prosperitatis retroducas.



Konwie Dominikan







Lect. 1, Noct. *de*
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg. Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. … ehe. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Cruc. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. … Dom. & sequ.

7 ij. *Cruc.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Cruc.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. May.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Cruc.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. … 25. May.) … CA. Vesp. …